



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXXI. Vtrum character sit effectus sacramentorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

cramentum reddit nullum. Quia sacramentum essentialiter est loquutio Dei. Loquutio autem falsa non potest esse loquutio Dei. Igitur hæc tria sacramenta valida, & simul informia esse nullatenus possunt; & consequenter nec gratiam possunt vnquam in posterum conferre si fide suscipiantur. Verum de his omnibus plura vberius adiciuntur infra agendo de singulis seorsim sacramentis, ac præsertim q. 48. circa Baptismum.

Ad 1. Baptismus, Confirmatio, & Ordo, necnon Matrimonium significant gratiam, vt conferendam mediante alia forma priori, iuxta naturam ipsius. Natura autem eius formæ prioris est, vt exigit infusionem gratiæ sanctificantis, cum primum ipsa existit; si tunc non adsit impedimentum; sin minus postea, cum impedimentum sublatum fuerit, vt dictum est ratione fundata in ordinatione ad finem peculiarem, quam in se continet forma illa prior conferibilis seorsim per prædicta sacramenta. Quapropter significatio supernaturalis eorum sacramentorum non est omnino commensurata significationi naturali verborum, quibus perficiuntur. Forma enim Baptismi significat supernaturaliter ablutionem, quatenus regenerantem, vt constat ex Euangelio; cum tamen verba, quibus constat ea forma, naturali significatione, regenerationem nulla ex parte attingant, vel etiam insinuent. Idem euenit suo modo in reliquis prædictis tribus sacramentis. Circa alia nihilominus sacramenta, quæ supersunt exceptis istis quatuor procedit bene, & concludit obiectio.

Ad 2. Verba Eucharistica directa ad farinam, & vnas nihil tunc efficiunt, nec immittunt radicem exitium conuersionis, in corpus, & sanguinem Christi, postea futura; suntque proinde falsa. Non ita contingit in prædictis quatuor sacramentis collatis indispotio ad gratiam, dummodò sit nihilominus dispositus sufficienter ad formam aliam minus perfectam, quæ hominem deuinciat obligatione peculiari, cui satisfieri non possit absque gratia sanctificante, ideò, quæ exigit existentiam eiusdem gratiæ sanctificantis, cum primum superaddita fuerit dispositio perfectior requisita ad susceptionem ipsius.

Ad 3. Sacramentum est opus Dei, & ideò potest esse viuum, ac viuificatum in mortuo; licet opus ipsius mortui, nec viuum, nec viuificabile esse possit.

Ad 4. Iam redditum est discrimen legitimum inter alia, atque alia sacramenta. Adde omnes teneri ad reddendum eiusmodi discrimen quoad sacramentum Baptismi. Quia Baptismus validum simul & informem esse posse, & fide susceptum posse nihilominus conferre gratiam, si recedat, & cum primum recesserit fictio, est indubitatum apud Theologos, propter auctoritatem maximè Augustini enixe, & fuscè disputantis pro ea re, tanquam pro dogmate catholico. b. 1. de baptis. contra Donatistas cap. 12. ac sæpè deinceps per totum fere illud opus, atque alibi non semel. Est autem eadem ratio de aliis tribus sacramentis, quæ adiunximus sacramento Baptismi; dispar verò de tribus aliis quæ seorsim ab eodè, vt apparet ex dictis.

Q V Æ S T I O XXXI.

Virum character sit effectus Sacramentorum?

Videtur non esse. 1. Quia character est signum, atque de ratione signi est, vt ingerat speciem sensibus; id est vt sit aliquid sensibile. Nihil autem sensibile conferunt sacramenta, vt patet ex eorum definitione initio præfixa. Ergò sacramenta non conferunt characterem, sed ipsa potius sunt characteres gratiæ inuisibilis.

2. De caractere, cuiusmodi res sit, & cuius muneris tot sunt sententiæ Theologorum, quot capita, pro libito cuiusque prolata absque fundamento quidquam efficaciter persuadente. Hæc autem tanta opinionum diuisio, tantusque defectus fundamenti, est indicium vehemens falsæ suppositionis rei, quæ assumitur exponenda. Standum igitur potius est sententiæ Durandi dicentis characterem esse puram denominationem extrinsecam, & non physicum vllius sacramenti effectum.

3. Nec circumcisio, nec vllum aliud ex antiquis sacramentis conferebat characterem, vt fert vnanimis omnium consensus. Non est autem maior quoad hoc ratio de sacramentis nouæ legis.

Art. 1. Respondetur *character sacramentalis est signum potestatis spiritualis in ordine ad cultum Dei*; & reducitur ad secundam speciem qualitatis, vt docet D. Thom. q. 63. art. 1. ad 2. Dicitur signum, seu signaculum late, quatenus propriè, ac stricte est quoddam discrimen spirituale hominis specialiter deputati ad cultum Dei; ad eum modum, quo solent insigniri signo aliquo exteriori propriè tali, qui specialiter sunt deputati ad aliquod genus operationum exteriorum, vt olim milites, & modo etiam aliqui præcipuè, vt Ierosolymitani. Dici igitur aliter, & propriè potest character, pro vt in presenti vsurpatur; *Qualitas practicè indicatua potestatis spiritualis ad cultum Dei*.

Art. 2. Quia verò istud munus nulla alia qualitas tam bene præstare potest, quam species impressa nullaque alia eius muneris naturaliter, ac permanentemente animæ inest; necesse verò est inesse connaturaliter cuius subiecto formam aliquam affinem, cuiuslibet formæ supernaturaliter communicabili eidem subiecto quoad munus proprium, & peculiare eiusdem formæ supernaturaliter communicabilis, vt apparet ex dictis q. 21. præsertim ad 4. Quia inquam hæc ita habent, concluditur cum Altiſiodorensi, Salas, & aliis characterem sacramentalem esse speciem impressam supernaturalem infusam à Deo dependenter à sacramento, & indicatuum destinationis ad finem peculiarem; necnon potestatis peculiariis ad cultum Dei iuxta naturam cuiusque sacramenti.

Art. 3. Potestas autem ad cultum Dei est duplex. Alia namque est potestua, quæ consistit in idoneitate, & iure quodam ad suscipienda sacramenta reliqua, quorum susceptione colitur Deus, & fit protestatio fidei. Quia verò istiusmodi potestatem præstat Baptismus, quia ea de causâ dicitur ianua sacramentorum; colligitur Baptismus imprimere characterem indicationis potestatis eiusmodi passiue ad cultum Dei. Potestas alia ad cultum Dei est actiua; atque hæc rursus est duplex. Altera nimirum ad promouendos fideles in cultu Dei per administrationem sacramentorum; quam potestatem confert sacramentum Ordinis. Altera verò ad resistendum fortiter, ac viriliter hostibus fidei diuinæ, & ad tuendum hoc modo cultum Dei; quod præstat sacramentum Confirmationis. Vnde hæc etiam duo sacramenta imprimunt characterem. Reliqua quatuor sacramenta nullam eiusmodi potestatem conferunt, ideòque nec characterem imprimunt vllum.

Art. 4. Tria igitur tantummodò sacramenta Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem iuxta claram, ac expressam definitionem Concilij, tum Florentini in decreto Eugenij, tum Tridentini, session. 7. can. 9. Inest porro indelebiliter character, bonis quidem, ac prædestinatis, ac decus; reprobis verò ad contumeliā. Quia existit auctore Deo, & inest subiecto immortalis, nec habet qualitatem contrariam. Tum etiam, quia est qualitas configuratiua, & participatiua ministerialiter, ac instrumentaliter sacerdotij Christi, vt potè primitus, sic originali

originaliter continentis in se totam plenitudinem potestatis spiritualis; atque sacerdotium Christi manet in æternum ex ps. 109. 4.

Ad 1. Dictum est iam characterem esse signum solum sublata quadam significatione huius vocis, & propterea dici solet res sacramenti, & sacramentum simul, quatenus significatur propriè, & significat latè.

Ad 2. Quia non possunt homines inducere se solis immediatè species impressas obiectorum, quæ intendunt sibi inuicem manifestare, coguntur apponere, pro signo deputatio alicuius in aliquod ministerium, obiectum sensibile, ex quo deinde suboritur species impressa causatiua vterius manifestationis intentæ. At Deus potest indere, & indit immediatè per seipsum speciem obiecti, seu muneris, ac deputationis, quam vult intelligibiliter indicare. Quia verò plerique Auctores apprehenderunt Deum operantem ad modum hominum, in quod est humanum ingenium valde proum; propterea in tot dicendi modos diuisi sunt, & non propter suppositionem characteris impressi per dicta tria sacramenta, atque inhærentis intrinsicè suscipientis illa validè. Quæ videlicet suppositio est certissima, ita vt sententia Durandi non sit amplius tuta in fide. Illa igitur alia suppositio est potius euellenda ex animo, quæ Deum ponit operantem sicut homines quoad eum modum, qui conuenit hominibus ratione suæ imperfectionis, & insufficientiæ.

Ad 3. Nec Circumcisio, nec alia sacramenta antiqua conferebant vi sua vllum effectum spirituales internum; sed solam sanctitatem exteriorem, & legalem, vt dictum est q. 20. Quia de causa Hebr. 9. 10. dicuntur *instituta carnis*. Vnde & Circumcisio characterem imprimebat solum in corpore. Alia longe ratio est de sacramentis nouæ legis, quæ sunt perfectiua, & consummatiua, atque promotiua veterum sacramentorum ad genus aliud effectuum nobiliorum, vt sæpe dictum, ac ostensum est.

Q V Æ S T I O XXXII.

Vtrum omnes, & soli Viatores sint capaces susceptionis Sacramentorum?

Videntur nec omnes, nec soli viatores esse capaces sacramentorum. Quia Beata Virgo, dum esset viatrix, fuit nihilominus incapax Baptismi, cum non haberet peccatum originale, ad cuius deletionem principaliter ordinatur istud sacramentum; & quia Baptismus est ianua reliquorum sacramentorum, consequenter fuit incapax eorum omnium. Ergo non omnis viator est subiectum idoneum sacramenti.

1. Non possunt sacramenta validè ministrari iis, quibus nullum eadem effectum conferre possunt, vt dictum est q. 30. Sacramenta autem causant omnes suos effectus dependenter à sensatione sui, & per excitationem mentis, quam inducunt mediante ea sensatione, vt liquet q. 24. Neutrius autem sunt capaces paruuli, alique viatores, qui non sunt compotes rationis. Ergo idem sunt incapaces suscipiendi validè vllum sacramentum.

2. Homines viatores, & Beati sunt eiusdem speciei, ac naturæ. Ergo eorundem omnium bonorum sunt capaces, atque adeo, & sacramentorum. Ergo non soli viatores sunt capaces eorum.

Respondetur. Certum primò est solos homines viatores esse capaces sacramentorum, vt fert communis eaque certa Theologorum omnium sententia. Primò, quia perpetua & constans Ecclesiæ traditio id semper tenuit, ac tenet. Deinde quia incapaces Baptismi, sunt

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I I.

eo ipso incapaces reliquorum sacramentorum, cum ille sit ianua ad reliqua. Baptismus autem pro solis viatoribus institutum esse, colligitur inter alia ex illis verbis Christi Domini apud Mathæum: *docere omnes gentes baptizantes, &c.* Solis quippè hominibus viatoribus conuenit doceri ab hominibus idem viatoribus, quales soli esse possunt ministri sacramentorum, vt dictum est q. 12. Tertio quia sacramenta instituta sunt ad conferendam sensibilibus primam gratiam, vel augmentum gratiæ, ac proinde pro iis solis instituta sunt, quibus ratione sui status inest capacitas primæ gratiæ, vel augmenti gratiæ. Hi autem sunt soli viatores. Postremo quia pro his solis instituta sunt sacramenta, pro quibus solis expediebat, vt instituerentur; cum Deus, qui est auctor sacramentorum, nihil nisi conuenientissimè faciat. Institutio autem sacramentorum, tantum respectu viatorum, conuenientiam habet ex sua natura, vt apparet q. 11. Certum rursus est omnes vtriusque sexus viatores esse capaces per se omnium sacramentorum, dempto solo sacramento ordinis, cuius scæminæ non sunt capaces: de qua exceptione dicitur in loco. Probatur, quia sacramenta instituta sunt pro viatoribus, vt modo ostensum est, nullaque apparet vllius ex ipsis exceptio, præter exceptionem modo dictam, & cum de capacitate remota, seu ex natura rei, æquali in omnibus viatoribus ad omnia eadem dubitari minime possit, vt patet ex rationibus præcedentis assertionis; concluditur planè omnes esse æquè capaces per se ex vi institutionis, dum nulla per ipsam sit exceptio. Dicitur autem *per se*; quia multipliciter contingit plures homines viatores impediri per accidens, quominus validè suscipere valeant sacramenta; de quibus tamen impedimentis dicitur commodius infra circa singula seorsim sacramenta; quippè impedimenta sunt diuersa pro diuersis sacramentis.

Ad 1. Nonnulli dixerunt Beatam Virginem fuisse incapacem omnium sacramentorum saltem post conceptionem filij sui, quia ex tunc eandem putauerunt incapacem augmenti gratiæ. Quæ tamen opinio quoad istum fundamentum est improbabilis, vt rectè pronunciat Suar. in præsentis disput. 14. sect. 1. paulò post initium, monens ibidem iuxta eandem nihilominus sententiam, defendi posse capacem sacramentorum Beatam Virginem. Quia ratione sui status non erat incapax effectus eius sacramentalis, sed aliundè, & per accidens. Quod tamen videtur subsistere minime posse quia impedito omni prorsus effectu sacramenti, impeditur valor eiusdem sacramenti, vndeunque impedimentum proueniat, vt liquet ex quæst. 30. præsertim art. 5. Defendatur igitur capacitas augmenti gratiæ in Beata Virgine, dum fuit viatrix, vt pariter defendatur capax sacramentorum. Difficultatem aliam eiusdem in eadem capacitatibus, quam tangit ratio dubitandi desumptam ex baptismo, & peccato originali opportunè discutunt Theologi in propria materia de baptismo, & à nobis ibidem dissoluetur q. 43. Interim sat est dicere ad valorem sacramenti solum requiri, vt conferat gratiam sufficientem ex sua natura ad delendum peccatum, tametsi nullum de facto deleatur peccatum, vt patet in quouis adulto iustificato prius per contritionem, & deinde baptizato. Hac de re videri multa possunt apud Cardinalem de Lugo in præsentis disp. 2. sect. 2.

Ad 2. Sacramenta semper ingerunt speciem sui, redduntque proinde sensibilem, quantum est de se, collationem gratiæ; idque sufficit, vt gratia conuenienter conferatur hominibus lapsis dependenter à sacramentis; tametsi contingat aliquos esse impeditos, quominus actualiter sentiant ipsa sacramenta, atque excitentur per sensationem eorum ad erigendum spiritualiter, ac intelligibiliter animum circa effectus